



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobilibus Viris Vgvit. & Guidoni Marchioni, fidelibus nostris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

spoliationis quæstio ab eisdem nobilibus sit objecta in modum actionis ad restitutionem petendam, an in forma exceptionis ad intentionem adversarij repellendam, cum ea in modum actionis proposita intelligantur diversæ petitiones se minimè contingentes, ac per hoc juxta regulam juris præmissam quæ prius esset proposita, prius foret tractanda, quanquam in idem iudicium ambæ deductæ vicissimque tractatæ simul essent eadem sententia terminandæ. Sed quoniam illa quæstio fuit ab eisdem nobilibus tantum in modum exceptionis objecta, de communi fratrum nostrorum consilio interloquendo pronuntiavimus ut probationes eorum super ipsa exceptione primitus audirentur, & ea probata legitimè non cogentur Abbati respondere super petitionibus memoratis, donec restituerentur ab ipso, cum spoliatus spoliatori ante restitutionem non cogatur ullatenus respondere. Spoliatione tamen in modum tantum exceptionis probata, non est per hoc restitutio faciendâ, quemadmodum cum in modum exceptionis aliquod testi crimen objicitur, ut sic à testimonio repellatur, etsi sic crimen contra eum civiliter fuerit probatum, non ideo sibi poena infligitur ordinaria, sed ejus duntaxat testimonio non creditur. quod ea ratione contingit, quoniam in ipsum accusatio non procedit. Testes etiam, quorum testimonium reprobatum, inter infames, quasi ex falso testimonio, non habentur. Cum autem super exceptione ipsa probandi testes sint ex parte Militum jam producti, & attestaciones etiam publicatæ, pars Abbatis ad repellendos eos nonnulla in præsentia nostra se proposuit objecturâ. Nos ergo volentes parcere laboribus partium & expensis, & quia majoribus occupati, causas singulas in persona propria discutere non valemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus ad tuam præsentiam constitutis, audias quæ pars Abbatis contra testes & attestaciones duxerit proponenda, & quæstionem ipsam servato juris ordine, appellatione remota, legitimo fine decidas. Postmodum autem si partes contra se mutuo duxerint aliqua proponenda, nihilominus audias, & si ambæ consenserint, remoto ap. ob. justitia mediante decidas. Alioquin omnia gesta redacta in scriptis, sigilli tui muni-

mine roborata, ad præsentiam nostram transmittas: utrique parti assignans terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Datum Ameliæ, III. Nonas Octobris.

NOBILIBVS VIRIS VGVIT.
Et Guidoni Marchioni, fidelibus nostris.

Licet apost. sedes mater sit omnium generalis, eos tamen protegere consuevit specialius & fovere qui præter spirituales subjectionem, quæ ipsi debentur ab omnibus, ei sunt temporali etiam jurisdictione subiecti. Eapropter, dilecti in Domino filij, devotionem quam erga Rom. Ecclesiam & nos ipsos habetis diligentius attendentes, vos & totam terram vestram, quæ ad jus & proprietatem beati Petri pertinere dignoscitur, cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis annuente Domino recuperare poteritis, seu etiam adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem majorem & minorem insulas, quas ad jus & proprietatem nostram non est dubium pertinere, sicut eas justè ac pacificè possidetis auctoritate vobis apostolica confirmamus &c. Decernimus ergo &c.

NOBILI VIRO SPALAGRAN.

EX tua confessione reperimus quòd olim corde compunctus ad ordinem Hierosolymitani Hospitalis disposueras te transferre, licet ad hoc te voto minimè astrinxisses. Si verò ille à quo omne datum optimum & omne donum perfectum est, per quem de virtute ascenditur in virtutem, vino compunctionis amplius te potaverit, & ascensionem cordis tui dignatus fuerit in melius promovere, ita ut in aliquo monasterio, in quo beati Benedicti regula observetur, propositum concipias Domino militandi, quoniam & tu super hoc à nobis consilium postulasti, nos diligentius attendentes quòd nullum juxta confessionem tuam votum emiseris, aut feceris professionem, unde secundum videatur propositum impediri, & etiam intuentes quòd beati Benedicti regula arduitatem vitæ continet arctioris, ut in aliquo monasterio prædicti ordinis Domino, si malueris, valeas militare, liberam tibi concedi-

Epist. 378.
Recipere non
cum ipse
subditis in pro-
tectionem apo-
stolicam.

Epist. 379.
Indulgentia e-
ut ecclesiis de
ordinem S. Be-
nedicti iurata
possit.